Tomus III^{us}. ——— libros *Esdrae* et *Nehemiae*, sive I^{um} et II^{um} *Esdrae* librum *Hebraïce*, cum versionibus *Graecâ* et *Latinis* memoratis, — III^{um} et IV^{um}, qui feruntur, *Esdrae* libros *Latine*, — *Tobiae* et *Judithae* libros *Graece*, cum versione *Latinâ* duplici, *Hieronymianâ* et literali, librum *Hesterae Hebraïce*, cum additamentis *Apocryphis*, *Chaldaïcâ* incerti auctoris paraphrasi et versionibus *Graecâ* et *Latinis* memoratis, porro libros *Hagiographos Jobi*, *Psalterii*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastae* et *Cantici Canticorum* cum paraphrasi *Chaldaïcâ Josephi Coeci* et versionibus *Graecâ* et *Latinis* memoratis, ac tandem libros *Sapientiae* et *Jesu Sirachidis*, qui *Ecclesiastes* appellatur, *Graece* cum *Latinâ Hieronymi* et literali versione.

Tomus IV^{us}. ——— libros *Propheticos Jesaiae*, *Jeremiae*, *Threnorum* ejusdem, *Baruchi*, *Ezechiëlis*. *Daniëlis* cum capitibus *Apocryphis*, *Oseae*, *Joëlis*, *Amosi*, *Abdiae*, *Jonae*, *Michae*, *Naumi*, *Habacuci*, *Sophoniae*, *Aggaei*, *Zachariae*, et *Malachiae*, omnes, uno excepto *Baruchi* libro, *Hebraïce*, cum additâ Prophetis *majoribus* incerti auctoris, 12 *minoribus Jonathanis*, *Uziëlis* filii, *Chaldaïcâ* paraphrasi, et cum versionibus *Graecâ* et *Latinis* memoratis, *Baruchi* autem et 3 *Macchabaeorum* libros *Graece* cum duabus memoratis *Latinis* versionibus.

In F°. N°. 1.

Tomus V^{us}. ——— omnes *Novi Testamenti* libros *Graece* cum 3 versionibus, *Syriäcâ*, dupliciter, characteribus cum *Syriäcis*, tum *Hebraïcis* expressâ, et duplici *Latinâ*, *Vulgatâ* et literali Syriäcae, a *Guidone Fabricio Boderiano* confectâ.

Tomo VI°. sive I°. *Apparatûs sacri*, continentur ARIAE MONTANI tractatus hi: *Linguae Hebraïcae Idiotismi*, Bibliorum interpretationibus, inprimis Latinae *Santis Pagnini*, accommodati, — liber *Joseph*, sive *de arcano sermone* ejusque explicatione, exemplis Biblicis probatâ, — liber *Jeremiae*, sive *de actione*, id est, motuum corporis et animae et ex his desumtarum phrasium Biblicarum explicatio, — liber *Thubalcaïn*, sive *de mensuris sacris*, — liber *Phaleg*, sive *de gentium sedibus primis orbisque terrae situ*, — liber *Chanaän*, sive *de* 12 *gentibus*, — *Exemplar*, sive *de sacris fabricis* cum figg., — *Aäron*, sive *sanctorum vestimentorum*, *ornamentorumque descriptio*, — *Nehemias*, sive *de Antiquae Hiërosolymae situ*, — *Daniel*, sive *de seculis*, — *Index Biblicus* rerum, de quibus in Bibliis agitur, Alphabethi ordine, — *Catalogus librorum Canonicorum* V. et N. T. ex cap. XLVII° Concilii III[i] *Carthaginensis*, circa a[um] 400 celebrati, — *Hebraea*, *Chaldaea*, *Graeca* et *Latina nomina Virorum*, *Mulierum*, *Populorum*, *Idolorum*, *Urbium* cet. in Bibliis, cum eorum explicatione, — *Lectiones Variantes* textûs V. T. Hebraïci et Targumi Chaldaïci, — de *variâ in Hebraïcis libris lectione* ac de *Mazoreth ratione et usu*, quibus adjectae sunt *Variae lectiones in Bibliis Graecis* a GUILIELMO CANTERO congestae, — SIRLETI Cardinalis

In F°.

N°. 1. *Annotationes Variarum Lectionum in Psalmos*, — *Tabula Evangelicarum Lectionum Ecclesiae Syriäcae* cum praefatione *Guidonis Fabricii Boderiani*, — *Loca restituta in N. T. Syriäci contextu* ope antiquissimi codicis MSti, — *Variae Lectiones in Latinis Bibliis* editionis *Vulgatae* cum praefatione *Johannis Harlemii.*

Tomus VII^us^. s. II^us^. *Apparatûs sacri* exhibet *Hebraïca Biblia V. T.* cum interpretatione *interlineari*, operâ XANTIS PAGNINI, ARIAE MONTANI, FRANCISCI RAPHELENGII, et GUIDONIS et NICOLAÏ FABRICIORUM BODERIANORUM et *Novum Testamentum Graece* cum *Vulgatâ* interpretatione *Latinâ*, Graeci textûs lineis insertâ, et ARIAE MONTANI notis marginalibus.

Tomus VIII^us^. s. III^us^. *Apparatûs sacri* habet *Thesauri Hebraïcae linguae*, a XANTE PAGNINO conscripti, epitomen, a RAPHELENGIO confectam, cui accedit *Grammatices* libellus, ex optimis Grammaticis collectus, — *Dictionarium Syro-Chaldaïcum*, auctore GUIDONE FABRICIO, cum ANDREAE MASII *Grammaticâ linguae Syriäcae*, — *Syrorum Peculium*, sive vocabula apud Syros usurpata, in Targumistarum vocabulariis incognita, aut non satis explicata, et *Lexicon Graecum*, sive Dictionarium Graeco-Latinum cum praemissis *Institutionibus linguae Graecae.*

N°. 2.

BIBLIA SACRA POLYGLOTTA (*Waltoniana*, *Londinensia*), complectentia textus originales,

Hebraïcos cum *Pentateucho Samaritano*, *Chal-* In F°. N°. 2.
daïcos, *Graecos*, Versionumque Antiquarum, *Samaritanae*, *Graecae* 70 *Interpretum*, *Chaldaïcae*, *Syriäcae*, *Latinae Vulgatae*, *Arabicae*, *Aethiopicae*, *Persicae* quidquid comparari poterat ex Manuscriptis optimisque exemplaribus impressis, collatis, cum textuum et versionum Orientalium Translationibus *Latinis*, cum Apparatu, Appendicibus, Tabulis, Variis Lectionibus, Annotationibus, Indicibus, cet., edita a BRIANO WALTONO, *Londini*, typis *Thomae Roycroft* 1657, 6 vol.

Inchoatum est opus A°. 1653, finitum A°. 1657, imperitante Angliae Protectore CROMWELLO, cujus favore editori, ad edendum opus, chartâ a vectigalibus immuni concessâ, WALTONUS hujus rei gratam mentionem fecerat in *Praefatione*, his verbis: *Primo autem commemorandi*, *quorum favore chartam a vectigalibus immunem habuimus*, *quod quinque abhinc annis*, *a Concilio Secretiori primo concessum*, *postea a* SERENISSIMO D. PROTECTORE *ejusque Concilio*, *operis promovendi causâ*, *benigne confirmatum et continuatum erat.*, quae verba, ne CAROLO II°., paternum ad regnum vocato, offenderent, postea immutavit; quare priora illa, ante istam rerum conversionem divendita exemplaria, in quibus memorata illa Protectoris in praefatione mentio reperitur integra, a rariorum librorum amatoribus Anglicis in deliciis habentur. In hoc exemplari verba non leguntur.

Volumen I^{um}. continet *Pentateuchi Mosaïci* I°. textum *Hebraïcum* cum versione *Latinâ* interlineari

In F°.

N°. 2.

Santis Pagnini et adjectâ *Vulgatâ*, recognitâ et emendatâ a *Clemente* VIII°. II°. Versionem *Graecam* 70 *Interpretum*, III°. Versionem *Syriäcam*, IV°. *Targumum Chaldaïcum Onkelosii*, V°. textum *Hebraeo-Samaritanum*, VI°. Versionem *Arabicam*, — singula cum adjectâ singulari interpretatione Latinâ, verbum verbo reddente.

Praefixa sunt : 1. *Chronologia sacra* a mundo condito ad Hierosolymae eversionem per Romanos, 2. Tractatus de *nummis*, *ponderibus* et *mensuris Hebraeorum*, *Graecorum*, *Latinorum*, 3. de *idiotismis s. scripturae*, 4. descriptio *terrae sanctae* cum tabulis Geographicis, 5. triplex *Templi Salomonei* delineatio, 6 *Hierosolymae Veteris* descriptio, et 7. Prolegomena : 1. de *linguarum* naturâ, origine, divisione, numero, mutationibus et usu, 2. de *literis* earumque usu, origine, inventione et diversitate in praecipuis linguis, 3. de *linguae Hebraïcae* antiquitate, conservatione, mutatione, praestantiâ et usu, *characteribus antiquis*, *punctisque vocalibus* et *accentibus*, 4. de *Bibliorum editionibus*, 5. de *Versionibus*, 6. de *Lectionibus Variantibus*, 7. de *textuum originalium* integritate et auctoritate, 8. de *Masorâ*, *Keri* et *Ketib*, *Variis lectionibus Orientalium* et *Occidentalium*, *Ben Ascher* et *Ben Naphthali* et de *Cabalâ*, 9. de versione *Graecâ* 72 *Interpretum*, aliisque Graecis versionibus, 10. de versione *Vulgatâ Latinâ*, 11. de *Pentateucho Samaritano* ejusque versionibus, 12. de linguâ *Chaldaïca* et *Targumim*, 13. de linguâ *Syriäcâ* et scripturae versionibus

Syriäcis, 14. de linguâ *Arabicâ* et versionibus *Arabicis*, 15. de linguâ *Aethiopicâ* et versionibus *Aethiopicis*, 16. de linguâ *Persicâ* et versionibus *Persicis*. In F°. N°. 2.

Vol. II^um^. —— librorum *Josuae*, *Ruthae*, 4 *Regum* (sive 2 *Samuëlis* et 2 *Regum*), 2 *Paralipomenon*, 2 *Esdrae* (*s. Esdrae* et *Nehemiae*) et *Estherae* textum *Hebraïcum* cum versionibus *Latinis Pagnini* et *Vulgatâ*, nec non *Graecâ* 70 Intt., *Syriacâ*, atque *Arabicâ*, singulis cum singulari *Latinâ* ad literam interpretatione, et addito *Josuae*, *Ruthae* et *Regibus Targumo Jonathanis*, *Estherae Targumo Anonymi*.

Vol. III^um^. —— librorum *Jobi*, *Psalmorum*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastis*, *Cantici*, *Esaïae*, *Jeremiae*, *Lamentationum*, *Ezechiëlis*, *Daniëlis*, *Hoseäe*, *Joëlis*, *Amosi*, *Abdiae*, *Jonae*, *Michae*, *Nahumi*, *Habacuci*, *Sophoniae*, *Aggaei*, *Zacchariae* et *Malachiae* textum *Hebraïcum* cum iisdem versionibus, versionumque interpretationibus *Latinis* et *Targumo Anonymi* ad *Jobum*, *Psalmos*, *Ecclesiastem* et *Canticum*, *Targumo Jonathanis* ad libros Propheticos, uno *Daniëlis* libro excepto, *Chald.* et *Lat.*, atque adjectâ *Psalmis* et *Cantico Aethiopicâ* versione, item cum interpretatione *Latinâ*.

Vol. IV^um^. —— Orationem *Manassae Gr.* cum vers. *Vulg. Lat.*, *Esdrae* librum III^um^. *Gr.* cum vers. *Lat.* duplici, *Vulgatâ* et ad literam et *Syriace* cum vers. *Lat.*, ejusdem librum IV^um^. *Lat.*, librum *Tobiae Hebr.* secundum duplicem editionem, FAGII et MUNSTERI, cum utriusque *Lat.* interpr., vers. *Vulg.*

In F°.
N°. 2.

Lat., *Graec.* 70 *Intt.* et *Syr.* et harum *Lat.* interpr., additamenta ad *Estherae* librum *Gr.* cum vers. dupl. *Lat.*, ad lit. et *Vulg.*, libros *Sapientiae* et *Ecclesiastici Gr.* cum vers. dupl. *Lat.*, ad lit. et *Vulg.*, et *Syr.* atque *Arab.* cum utriusque versionis *Lat.* interpr., Epistolam I^am^. *Baruchi Syr.* et *Lat.*, ejusdem *Prophetiam* sive II^am^. Epistolam et *Jeremiae* Epistolam *Gr.* cum vers. dupl. *Lat.*, ad lit. et *Vulg.*, nec non *Syr.* atque *Arab.* cum utriusque versionis *Lat.* interpr., Historiam *Susannae Gr.* cum vers. *Lat.* dupl., ad lit. et *Vulg.*, et *Syr.* dupliciter cum utriusque versionis interpr. *Lat.*, atque *Arab.* item cum *Lat.* interpr., Canticum *Azariae*, Hymmnum 3 *Puerorum* et Historiam *Beli et Draconis Gr.* cum vers *Lat.* dupl., ad lit. et *Vulg.*, et *Syr.* atque *Arab.* cum utriusque vers. *Lat.* interpr., libros *Machabaeorum* 3 *Gr.* cum vers. dupl. *Lat.*, ad lit. et *Vulg.*, et *Syr.* cum interpr. *Lat.*, librum *Machabaeorum* II^um^. *Arab.* et *Lat.*, et Targumum *Pentateuchi* triplicem, duplicem *Chaldaïcum*, JONATHANIS et *Hierosolymitanum*, et *Persicum* JACOBI TAWUSI, cum singulorum versionibus *Latinis*.

Vol. V^um^. —— librorum Novi Testamenti textum *Graecum* cum vers. *Lat.* dupl., interlineari ARIAE MONTANI et adj. *Vulg.*, porro *Syriăcâ*, *Aethiopicâ*, *Arabicâ* et Evangeliorum *Persicâ* et harum singularum *Lat.* interpret.

Vol. VI^um^. —— Varias Lectiones Codicum Hebraeorum *Keri* et *Ketib*, *Ben Ascher* et *Ben Naphthali*, *Occidentalium* et *Orientalium* cum *Parascha-*

In Fö. No. 2.

rum et *Haphtararum* indice, — Var. Lect. Paraphrasis *Chaldaïcae* et Versionis *Syriäcae*, — Discrepantias textûs *Samaritani* cum *Hebraeo*, — Var. Lect. *Aethiopicae Psalmorum* versionis, — Annotationes in versionem *Psalmorum Syriäcam*, *Cantici Aethiopicam*, *Pentateuchi Persicam*, *Novi Testamenti Aethiopicam*, *Evangeliorum Persicam*, — Var. Lect. *Pentateuchi Arabici*, itemque versionis *Graecae* 70 *Intt.* cum praefixis FLAMINII NOBILII ad hanc notis, — ANDREAE MASII Annotationes in *Josuae* versionem *Graecam*, — variorum Codicum versionis *Graecae* cum *Romano* collationes, — Var. Lect. versionis V. T. *Latinae Vulgatae*, — PATRICII JUNII Annotationes in MS *Alexandrinum* 70 *Intt.*, — excerpta ex HUGONIS GROTII annotatis, — Var. Lect. textûs Graeci N. T. a ROBERTO STEPHANO collectas, — FRANCISCI LUCAE BRUGENSIS notas ad varias Lect. N. T. editionis *Graecae* et *Latinae*, — Propriorum Nominum *Hebraeorum*, *Chaldaeorum*, *Graecorum* et *Latinorum* explicationem, et rerum atque verborum per totam scripturam indicem.

De *Lexico* CASTELLI *Heptaglotto*, quod his *Polyglottis Bibliis Waltonianis* addi solet, ad haec interpretanda speciatim ab auctore comparato et conformato, dicetur infra in recensione librorum de literaturâ Orientali.

N°. 3.

BIBLIA SACRA TRILINGUIA *Graece* secundum 70, *Latine* dupliciter, secundum *Vulgatam* et *Xantis Pagnini*, et *Germanice* secundum *Lu-*

In F°.

N°. 3. *theri* versionem, cum appositis notulis editoris *Davidis Wolderi*, Hebraïcam V. et Graecam N. T. veritatem indicantibus, *Hamburgi* typis *Jacobi Lucii Junioris*, 1596, cum figg. 7 tom. 3. vol.

N°. 4.

Biblia universa hebraïca V. T. et graeca librorum Apocryphorum atque N. T., cum interlineari interpretatione *Latinâ* V. T. *Xantis Pagnini*, ad Hebraïcam veritatem examinatâ, Apocryphorum librorum *Complutensi*, N. T. *Vulgatâ*, emendatâ ex *Ariae Montani* versione, jussu Electoris *Saxoniae* johannis georgii I edita, *Lipsiae*, *typis Johannis Wittigau* 1657.

N°. 5.

Biblia graeca, sive vetus testamentum graecum secundum 70, ex auctoritate *Sixti* V[i]. editum, cum scholiis *Romanae* editionis et versione *Latinâ Vulgatâ*, una cum novo testamento *Graec.* et *Lat.* et additis III°. et IV°. *Esdrae* libris Apocryphis *Lat.*, *Hieronymi* Praefationibus, Testimoniorum V. T. a *Christo* et *Apostolis* citatorum, indice, Nominum Hebraïcorum, Chaldaeorum et Graecorum interpretatione et rerum verborumque indicibus, *Lutetiae Parisiorum*, apud *Claudium Sonnium*, 1628. 3 vol.

N°. 6.

Biblia (latina vulgata) ad vetustissimum castigatum exemplar cum indice nominum propriorum Hebraeorum, Chaldaeorum, Graecorum et Latinorum, curâ *Johannis Hentenii, Mechliniensis, Lovanii*, ex officinâ *Bartholomaei Gravii*, 1547.

N°. 7.

Biblia (latina vulgata) cum Postillis sive commentario perpetuo exegetico et morali NICOLAI DE LYRA, ordinis *Minorum*, Expositionibus *Guilielmi Britonis* in Prologos *Hieronymi*, Additionibus *Pauli Burgensis* (antea Judaei, *Salomonis Levi* dicti) et Replicis *Matthiae Dorinck*, 6 part. 5 vol. bis pars III^a^.

Parti II^ae^. adjectum est *Repertorium Alphabeticum* sententiarum praestantium totius operis. Partes II—VI impressae sunt charact. Goth. 3 col., 1 textûs et 2 postillarum, in *Artâ Valle* ultra *Birsam Basileanam*, sive *Valle Engadi* (vulgo *Engethal*) per *Conradum Leontorium Mulbrunnensem*, 1508. Pars I^a^. (libros continens *Genes. — Paralipom.*) et alterum partis III^ae^. exemplar, (in quo libri *Prophetici* et *Machabaeorum*) sunt editionis multum antiquioris, sed sine ullâ anni, loci aut typographi notâ, sine paginarum numeris et custodibus,

In F°.

N°. 7. solummodo cum fol. sign., char. Goth. 4 col., 2 text. et 2 postill., cum litt. init. eleganter delin. var. col.

De lyra pro suo aevo sanioris et acerrimi judicii theologus, e Judaeo Christianus factus, patriâ *Normannus* e dioecesi *Ebroïcensi* (*St. Evreux*), ordinis *Minorum s. Francisci Seraphici* in *Burgundiâ* Provincialis, postea Theologiae doctor *Parisiis*, *doctor planus et utilis* cognominatus, mortuus A°. 1349, his suis Postillis reformationi ecclesiae viam aperuisse creditur, unde notum illud :

Si lyra non lyrasset,
Lutherus non saltasset.

Parti I^ae^. editionis antiquioris adscripta sunt haec verba : « *Liber Conventûs sanctae* Ursulae *in* Amstel- » redammis *ex fratris* Johannis Haghenou *legatione*." Praefixa sunt haec : 2 Prologi *Nicolai de Lyra*, Expositio *Britonis* in Epistolas *Hieronymi*, Epistola *Hieronymi* ad *Paulinum*, sive Prologus in Bibliam, itemque in Pentateuchum, *Pauli Burgensis* Prologus in Additiones, his verbis incipiens : » *Additiones ad Pos-* « *tillam Magistri* Nicolai de Lyra *Super Biblia*, *edi-* « *tae a reverendo patre Domino* Paulo de Sanctâ Ma- » riâ, *Magistro in theologiâ*, *Episcopo* Burgensi, » *Archicancellario serenissimi Principis* Johannis, » *regis* Castellae *et* Legionis, *quas venerabili viro* » Alfonso, *legum Doctori*, *Decano* Compostellano, » *filio suo*, *ex legitimo matrimonio genito*, *direxit*, — » *finivit autem anno Domini* 1429." Hunc Prologum sequuntur literae, a *Paulo Burgensi* de suis Additionibus acceptae et rescriptae, post has *Dorinckii* praefatio hoc titulo : » *Prologus in Replicas Defensivas* » *Postillae fratris* Nicolaï de Lyrâ *ab impugnationibus* » *Domini* Burgensis, *editas a venerabili et religioso*

» *patre fratre* Mathiâ Dorinck, *sacri Ordinis* Minorum » *Provinciae* Saxoniae *Ministro*," denique Replica super quaedam dicta *Burgensis* in quaestione praeambula.

In fronte voluminum editionis *Leontorii* haec legitur inscriptio: » *Hos libros comparavit frater* Simon » de Zanen, *Commendator domûs ordinis* s. Hieroso- » lymitani *in* Harlemo.

N°. 8.

BIBLIA S. LATINA V. T. ex translatione et cum commentario JOANNIS CLERICI (*Genevensis*, Theologiae Professoris apud Remonstrantes *Amstelodami*) et V. T. ex versione *Vulgatâ* et cum commentario HENRICI HAMMONDI (*Surreiensis Angli*, Theologi et Philologi *Oxoniensis*), 6 vol. I—IV. *Amstelodami* apud *Henricum van Schelle*, *R. et J. Wetstenios* et *Guil. Smith*, 1710—1731, V. et VI. *Francofurti* apud *Thomam Fritsch* 1741.

Volumine I°. continentur libri *Mosaici* ex *Clerici* translatione, cum ejusdem paraphrasi perpetuâ, commentario philologico, dissertationibus *de linguâ Hebraicâ*, *de optimo genere interpretum s. scripturae*, *de scriptore Pentateuchi* Mose, *ejusque in scribendo consilio*, *de* Sodomae *finitimarumque urbium subversione*, *de statuâ salinâ*, et *de maris* Idumaei *trajectione*, JOANNIS SELDENI dissertatione *de decimis*, tabulis chronologicis et indicibus.

Vol. II°. —— V. T. libri Historici: *Josua*, *Judices*, *Rutha*, *Samuël*, *Reges*, *Paralipomena*, *Es-*

In F°.
N°. 8.

dras, *Nehemias* et *Esthera* ex transl. *Clerici*, cum ejusdem commentario, dissertationibus *de scriptoribus librorum Historicorum V. T.*, *de 72 virorum in republicâ populi Hebraïci Synedrio*, DANIELIS CLERICI dissertatione *de leprâ Mosaïcâ*, tabb. chronologicis et indd.

Vol. III°. —— libri Hagiographi: *Jobus*, *Psalmi*, *Proverbia Salomonis*, *Concionatrix* et *Canticum Canticorum* ex transl. *Clerici* cum ejusdem commentario, et paraphrasi in *Jobum* ac *Psalmos*.

Vol. IV°. —— Prophetae ab *Esaïâ* ad *Malachiam* ex transl. *Clerici* cum ejusdem commentario, et paraphrasi in *Esaïam*, *Jeremiam*, ejus *Lamentationes* et *Abdiam*, JOHANNIS SMITHI dissertatione de *Prophetiâ* et *Prophetis*, CLERICI dissertatione *de poësi Hebraeorum*, et indd.

Vol. V°. —— N. T. Pars Iª sive 4 *Evangelia* et *Acta Apostolorum* ex versione *Vulgatâ* cum paraphrasi et annotationibus HENRICI HAMMONDI, ex *Anglicâ* linguâ in *Latinam* translatis et animadversionibus J. CLERICI.

Vol. VI°. —— N. T. Pars IIª sive *Epistolae Apostolorum* et *Apocalypsis s. Joännis* ex versione eâdem cum paraphrasi et annotationibus eorumdem.

N°. 9.

JOANNIS CLERICI HARMONIA EVANGELICA cum subjectâ *Historiâ Christi*, ex 4 Evangeliis concinnatâ, et 3 dissertationibus *de*

In F°.

annis Christi, de canonibus in concinnandâ Harmoniâ Evangelicâ observandis, et *de auctoribus Evangeliorum. Amstelodami* sumptibus *Huguetanorum*, 1720. N°. 9.

N°. 10.

Biblia, dat is, de gantsche H. Schrifture, vervattende alle de *Canonijcke* Boecken des *Ouden* en des *Nieuwen Testaments* (benevens de *Apocryphe*) door last der *Staten Generael* volgens besluyt der *Synode* van *Dordrecht* uyt de oorspronckelycke talen in de *Nederlandtsche* overgeset, met nieuwe bijgevoegde verklaringen, aanteeckeningen van ghelyckluydende texten ende nieuwe Registers op beide Testamenten, tot *Leyden* bij *Paulus Aertsz van Ravesteyn*, 1637.

N°. 11.

Biblia, als voren, tot *Haerlem* by *Jacob Albertsz van Beverwyck* 1687.

Voor in den band des boeks staat geschreven: » Wij President Burgemeester, Oude Burgemeesteren » ende Oude Scheepen der stadt Haerlem, hieronder » geschreven, considererende, dat den Bijbel door de » Heeren *Johan Schatter* ende *Cornelis Adriaens Bac-* » *ker* in haer tijdt mede Burgemeesteren der voor- » schr. stadt in den jaere 1632 gekocht, te eenemale » was versleten ende dat niets heylsaemer voor den » menschen op dezer aerde was, als de lecture van

In F°.
N°. 11. » Gods Heyligh woort, soo hebben wij onderge- » schreven tot dienste van bovengemelde stadt ende » de Heeren Gedeputeerdens ter vergadering van » haer Ed Gr. Mog. gekocht desen Bijbel, ter oir- » conden geteyckent den XIen Decemb. 1692."

Adr. Backer. Van Eehten. Willem van Nieuwenhuysen. Nicolaes Everswijn.

N°. 12.

La bible, qui est toute la sainete Escriture du Vieil et du Nouveau Testament, revue et conferé sur les textes Hebrieux et Grecs par les Pasteurs et Professeurs de l'Eglise de Genève. a Genève 1588.

N°. 13.

Biblia (polonice), translata secundum versionem Latinam *Vulgatam*, collatam cum textu *Hebraïco* et *Graeco*, ad defensionem fidei contra Haereticos, hortatu *Gregorii* XIIIi, jussu et sumptibus *Stanislaï Karnkowskii*, Archiepiscopi *Gnesnensis*, cum hujus praefatione, postillis jacobi wuykii, (Societatis Jesu, nati circa aum. 1540, mortui a°. 1597) et apparatu sacro, approbata a *Clemente* VIII°. *Gracoviae* typis *Lazarzovii*, 1599.

N°. 14.

Biblia (hispanice, secundum versionem cassiodori reinii) recognita et emendata

collatione textûs Hebraïci et Graeci et varia- In F°. N°. 14.
rum versionum per CYPRIANUM DE VALERA. Amstelodami, typis *Laurentii Jacobi*, 1602.

N°. 15.

BIBLIA SACRA V. T. *Hebr. Graec.* et *Lat.* cum LIBRIS APOCRYPHIS *Graec.* et *Lat.* (versio Latina duplex est, altera vetus, *Vulgata*, altera nova, *Xantis Pagnini*,) cum FRANCISCI VATABLI, Hebraïcae linguae quondam Professoris *Lutetiae*, annotationibus, et additis in margine idiotismis et verborum difficiliorum radicibus, ex officinâ *Sanctandreanâ* (*Hieronymi Commelini*, *Heidelbergae*) 1587. 2 vol.

N°. 16.

BIBLIA S. HEBRAÏCA ET CHALDAÏCA, sive Bibliorum s. V. T. textus *Hebraïcus* et paraphrasis *Chaldaïca*, sive *Targum* cum *Masorâ* (criticâ s. Hebraeorum) *Magnâ* et *Parvâ*, commentariis Rabbi *Salomonis Jarchi*, R. *Abrahami Aben Esrae*, R. *Davidis Kimchi*, R. *Levi Gerson*, R. *Saadiae Gaon*, R. *Jeschajae* et notis ex auctore, quem *Baäl Turim* vocant, studio et labore JOHANNIS BUXTORFII, linguae sanctae in Academiâ *Basileënsi* Professoris, cujus adjecta est TIBERIAS, sive commentarius *Masorethicus*, historicus, didacticus, criticus, continens Historiam *Masoretharum Tiberiënsium*,

In F°. N°. 17. clavem *Masorae* et castigationes ejusdem. *Basileäe* typis *Ludovici König*, 1620. 2 vol.

N°. 17.

BIBLIA HEBRAÏCA V. T. et libri *Graeci*, qui *Deuterocanonici* vocantur, cum notis criticis et versione Latinâ CAROLI FRANCISCI HOUBIGANTII (Oratorii *Jesu* sacerdotis *Parisiis*, mortui a°. 1783 a°. aetatis XCVII°.), *Lutetiae Parisiorum* apud *Antonium Claudium Briasson* et *Laurentium Durand*, 1753. 4 vol.

N°. 18.

VETUS TESTAMENTUM HEBRAÏCUM cum variis lectionibus ex codicibus Manuscriptis et impressis, curâ et cum dissertatione BENJAMINIS KENNICOTTI, Canonici *aedis Christi* et Bibliothecarii *Radcliviani*, (defuncti *Oxonii* a°. 1783), *Oxonii* e typographéo *Clarendoniano*, 1776—1780. 2 vol.

N°. 19.

NOVUM TESTAMENTUM 12 LINGUIS, *Syriäce*, *Hebraïce*, *Graece*, *Latine*, *Germanice*, *Bohemice*, *Italice*, *Hispanice*, *Gallice*, *Anglice*, *Danice* et *Polonice*, studio et labore ELIAE HUTTERI, *Norimbergae*, 1599. 2 vol.

N°. 20.

NOVUM TESTAMENTUM GRAECUM cum lecti-

In F°.
onibus variantibus Codd. Mss., Editionum aliarum, Versionum et Patrum, nec non commentario pleniore ex scriptoribus veteribus *Hebraeis*, *Graecis* et *Latinis*, historiam et vim verborum illustrante, operâ et studio JOANNIS JACOBI WETSTENII (Theologiae Professoris in seminario *Remonstrantium* Amstelaedami, mortui 1754). *Amst.* ex officinâ *Dommerianâ* 1751 et 1752. 2 vol. Additae sunt vol. 11°. N°. 20.

DUAE EPISTOLAE *S. CLEMENTIS ROMANI* ex Codice Manuscripto N. T. *Syriaci* cum versione *Latinâ* WETSTENII. *Lugduni Batavorum* typis *Eliae Luzacii Junioris*, 1752.

N°. 21.

NOVUM TESTAMENTUM GRAECUM, cum duplici versione *Latinâ*, alterâ *veteri* (*Vulgatâ*), alterâ *Theodori Bezae* et hujus annotationibus. (*Genevae* apud *Henricum Stephanum secundum*) 1589.

N°. 22.

PSALTERUM LATINUM QUINCUPLEX, *Gallicum*, (quo Ecclesia *Gallica*, sive *Cisalpina*, utebatur), *Romanum* (emendatum ab *Hieronymo*, apud Ecclesiam *Romanam*, sive *Transalpinam*, in usu), *Hebraïcum* (ab *Hieronymo* ex ipso Hebraeo translatum), *Vetus* (ante editiones, ab *Hieronymo* emendatas, in Ecclesiis *Latinis* usur-

In F°.
N°. 22. patum) et *Conciliatum* (ex quatuor memoratis Psalteriis, inter se comparatis, conflatum), cum annotationibus et expositione continuâ *Jacobi Fabri Stapulensis. Parisiis* ex officinâ *Henrici Stephani*, 1509.

Ex adscriptâ volumini notâ patet, librum olim fuisse partem Bibliothecae *Johannitarum Harlemensium.*

N°. 23.

S. PAULI EPISTOLAE ex *vulgatâ* editione (*Latinâ*), adjectâ intelligentiâ ex Graeco, cum commentariis *Jacobi Fabri, Stapulensis*, et additis Epistolis (Apocryphis) *ad Laödicenses*, et *Senecam*, et hujus responsis, et *LINI* Papae libellis DE PETRI ET PAULI PASSIONE. *Parisiis* ex off. *Henrici Stephani*, 1515.

Eodem volumine, quo THEOPHYLACTI *Enarrationes in 4 Evangelia*, de quibus dicetur in scriptis *Patrum.*

N°. 24.

CONCORDANTIAE BIBLIORUM V. ET N. T. novae et integrae, curâ et typis *Roberti Stephani. Parisiis.* 1555.

N°. 25.

CONCORDANTIAE MAJORES S. SCRIPTURAE. *Argentorati* apud *Georgium Ulricherum* 1529.

N°. 26.

CONCORDANTIAE MAJORES S. BIBLIAE, castigatae et locupletatae a JOÄNNE GASTIO, *Brisacensi*. *Basileae* per *Joännem Hervagium*, 1549.

N°. 27.

CONCORDANTIAE BIBLIORUM HEBRAICAE JOÄNNIS BUXTORFII, *patris*, quibus additae sunt CONCORDANTIAE NOVAE CHALDAÏCAE JOÄNNIS BUXTORFII, *filii*. *Basileäe*, typis *Ambrosii Frobenii* 1632.

N°. 28.

MISSALE ordinis s. *Joännis Hierosolymitani*. *Argentinae* per *Joännem Priis zum Thiergarten*, 1505.

In medio operis inveniuntur folia 24 pergamena, continentia nonnullas preces et cantica ritualia Mss.

N°. 29.

MISSALE, castigatum et revisum ordinis *s. Benedicti Reformatorum Nigrorum Monachorum Bursfeldensium*. *Hagenoäe* curâ et typis *Thomae Anshelmi*, *Badensis*, 1518.

In fronte libri haec verba scripta leguntur: » *Hic* » *liber est* Divi Adalberti *Opt. Max. Dei Confessoris in* » Haecmundâ, *ad usum Praelatorum et Dominorum* » *Monasterii* Haecmundensis, 1541," et in medio libri invenitur pagina, artificiosâ manu variis coloribus conscripta, continens tabulam Festorum dioecesis *Trajectensis*.

N°. 30.

PONTIFICALE ROMANUM ex emendatione *Jacobi de Luciis*, Episcopi *Cajacensis*, *Joännis Burkardi*, Capellae Pontificis Maximi Caerimoniarum magistri, et *Augustini Patricii* de *Picolominibus*, Episcopi *Piëntini* et *Ilcinensis*, cum figg., notis musicis et literis varii coloris. *Venetiis*, curâ et sumtibus *Lucii Antonii de Giunta*, *Florentini*, 1510.

IN QUARTO.

N°. 1.

BIBLIA LATINA V. et N. T. cum Apocryphis V. T., ex interpretatione et cum scholiis IMMANUËLIS TREMELLII et FRANCISCI JUNII. Libri V. T., Latini ex Hebraeo facti et scholiis illustrati ab J. TREMELLIO et F. JUNIO, in 4 tomos distributi, libri Apocryphi, Latine redditi et notis aucti a FR. JUNIO, libri N. T. ex interpretatione THEODORI BEZAE cum additâ ex adverso J. TREMELLII versione ex vetustissimâ translatione Syrâ et subjectis hujus atque JUNII notis. *Genevae* apud *Joännem Tornaesium*, impensis *Andreae Wecheli* haeredum, *Claudii Marnii* et *Joännis Aubrii*, 1590. 2 vol.

N°. 2.

BIJBEL, of O. en N. T. en Aprocryphe boeken, op last der Staten Generaal van de Ver-

In Q°.

eenigde Nederlanden, uit de oorspronglijke talen No. 2.
in de Nederlandsche overgezet, te *Gorinchem* bij *Nicolaas Goetzee* 1748, benevens de PSALMEN van *DAVID* met andere lofzangen uit den Franschen in Nederlandschen dichte overgezet door PETRUS DATHENUS, en op enen sleutel gesteld door *Cornelis de Leeuw*, mitsgaders de Christelijke Catechismus, formulieren en gebeden der Gereformeerde kerken, ter zelfder stede bij denzelfden 1749. 2 deelen.

N°. 3.

NOVI TESTAMENTI LIBRI HISTORICI *Graece* et dupliciter *Latine* secundum versionem *Bezae* et *Vulgatam*, perpetuo commentario ex Antiquitate, Historiis et Philologiâ illustrati, adornante BALDUINO WALAEO, cum praemissâ H. STEPHANI dissertatione *de stylo N. T. Lugd. Bat.* ex officinâ et typographiâ *Adriani Wijngaerden*, 1653.

N°. 4.

PSALTERIUM, ex Hebraeo ad verbum tralatum, fratre FELICE PRATENSI ordinis *Heremitarum s. Augustini* interprete, cum ejusdem scholiis, per *Leonem* X^um^ approbatum. *Haganoäe* in aedibus *Thomae Anshelmi Badensis* 1522.

In eodem volumine, quo EUSEBII de *Praeparatione Evangelicâ* et AGATHII *de bello Gothorum* versiones Latinae, de quibus dicetur suis locis.

In Q°.
Obl.

N°. 5.

1. *PETRI VAN DER BORCHT* IMAGINES ET FIGURAE BIBLIORUM, editae a RENATO CHRISTIANO, cum *Latinâ*, *Gallicâ* et *Belgicâ* interpretatione, typis *Jacobi Villani*, 1581.

2. BIBELSCHE FIGUREN met *Hoogduitsche* verklaring en Nederduitsche voorrede, zonder jaar, plaats van uitgaaf en naam van drukker.

IN DUODECIMO.

N°. 1.

NOVUM TESTAMENTUM GRAECUM cum versione *Latinâ* ARIAE MONTANI, editum a *Joänne Leusden*. *Amst.* ex officinâ *Wetstenianâ*, 1717.

II.

SCRIPTA PATRUM ECCLESIASTICORUM.

N°. 1.

BIBLIOTHECA VETERUM PATRUM ET AUCTORUM ECCLESIASTICORUM per MARGARINUM DE LA BIGNE, Editio quarta, 10 Tom. 6 vol. cum voluminibus 2 Graeco—Latinis, antea non editis, et auctario, varia vetustorum aliquot Ecclesiae Patrum opuscula *de divinis Catholicae Ecclesiae officiis et mysteriis* continente, edita curâ MELCHIORIS HITTORPII. *Parisiis* ex off. *Niveleï*, *Sonniorum*, *Puteanorum* et *H. Drovardi*, 1624. 9 vol. In F°. N°. 1.

Vol. I	Tom. I[us]	continet	Commentarios in s. Scripturam.
— II	— II	—	Homilias de Sanctis et in varia s. scripturae loca, rerumque divinarum argumenta.
— II	— III	—	Epistolas de deo et rebus divinis.

In F°. N°. 1. Vol.	III	Tom.	IV[us]	Haeresiologias, sive de diversis fidei Christianae Capitibus opuscula contra varias haereses.
—	IV	—	V	Paraenetica, sive de moribus in melius instituendis.
—	IV	—	VI	Liturgias et alia opuscula, ad Ecclesiasticae disciplinae et sacramentorum rationem pertinentia.
—	IV	—	VII	Historias de temporibus et rebus Ecclesiasticis, a Patribus et scriptoribus Ecclesiasticis conscriptas.
—	V	—	VIII	Scriptorum Ecclesiasticorum Poëmata.
—	VI	—	IX	Veterum Patrum sive Scriptorum Ecclesiasticorum varia de diversis argumentis.
—	VI	—	X	Indicem 1 Alphabeticum Auctorum et opusculorum, 2 Chronologicum Auctorum, 3 Locorum s. scripturae explicitorum, vel prolatorum, et 4 Rerum ac Verborum memorabilium.
—	VII	—	I	Scripta Patrum et Auctorum Veterum Ecclesiasticorum *Graeca*, cum additâ versione Latinâ.
—	VIII	—	II	
—	IX			Libros de divinis Catholicae Ecclesiae officiis et mysteriis.

In F°.
N°. 2. N°. 2.

MONUMENTA PATRUM ORTHODOXOGRAPHA, hoc est, Theologiae sincerioris fidei Doctores circiter 85, partim *Graeci* cum *Latinâ* versione, partim *Latini*, edente *Johanne Jacobo Grynaeo*. *Basileae*, 1569, 2 vol.

N°. 3.

1. CANONES APOSTOLORUM, Veterum CONCILIORUM (*Nicaeni*, *Ancyrani*, *Neo-Caesariensis*, *Gangrensis*, *Antiocheni*, *Laödicensis*, *Constantinopolitani*, *Ephesini*, *Chalcedonensis*, *Sardicensis*, *Carthaginensis*, *Africani*) CONSTITUTIONES, Tractatus DE PRIMATU ROMANAE ECCLESIAE et DECRETA PONTIFICUM antiquiora. *Moguntiae*, 1525, in aedibus *Joännis Schoefferi*.

2. *CLEMENTIS* (*ROMANI*) RECOGNITIONES ad *Jacobum*, fratrem Domini, RUFINO TORANO, *Aquilejensi*, interprete. Acc. VETUSTISSIMORUM EPISCOPORUM, qui tribus prioribus seculis Ecclesiae praefuerunt, EPISTOLAE, curâ *Joännis Sicardi*. *Basileae*, typis *Joännis Bebelii*, 1526.

3. *SALVIANUS* (*Massiliensis* Episcopus sec. V°) DE VERO JUDICIO ET PROVIDENTIÂ DEI, curâ et cum scholiis *Joännis Alexandri Brassicani*. Acc. ANTICIMENA, sive Quaestiones de

In F°.

N°. 3. locis s. scripturae in speciem pugnantibus, incerto auctore. *Basileae*, ex off. *Frobenianâ*, 1530.

4. *IRENAEUS* (*Lugdunensis* Episcopus sec. II°) ADVERSUS HAERESES, curâ *Desiderii Erasmi*. *Basileae* ex off. *Frobenianâ*, 1528.

N°. 4.

1. *CLEMENTIS* (*ROMANI*) RECOGNITIONUM libri 10 ad *Jacobum*, fratrem Domini, Latine e Graecis, RUFINO TORANO, *Aquilejensi*, interprete. Acc. VETUSTISSIMORUM EPISCOPORUM EPISTOLAE curâ *Joännis Sicardi*. *Bas.* apud *I. Bebelium*, 1526.

2. *IRENAEUS* ADVERSUS HAERESES, Latine, operâ et cum praefatione *D. Erasmi*. *Bas.* curâ et typis *Joännis Frobenii*, 1526.

N°. 5.

1. *DIONYSII AREOPAGITAE* COELESTIS ET ECCLESIASTICA HIERARCHIA, DIVINA NOMINA, MYSTICA THEOLOGIA, XI EPISTOLAE, cum EPISTOLIS XI *IGNATII* et unâ *POLYCARPI*, AMBROSIO oratore et Monacho *Camaldulensi* interprete, curâ *J. Fabri Stapulensis*. *Argentinae* 1502, cum literis initialibus manu delineatis et coloratis.

In F°.

2. Opuscula DE MYSTICÂ THEOLOGIÂ et DE DIVINIS NOMINIBUS, *Marsilio Ficino* interprete. *Argentinae* 1502, cum literis initialibus manu delineatis et coloratis. N°. 5.

N°. 6.

JUSTINI MARTYRIS OPERA itemque *ATHENAGORAE*, *THEOPHILI*, *TATIANI* et *HERMIAE* Tractatus aliquot, Gr. et Lat., curâ *Friderici Sylburgii*. *Parisiis* ex off. *Claudii Sonnii*, 1636.

N°. 7.

JUSTINI MARTYRIS OPERA Latine, *Joächimo Perionio* interprete. *Parisiis* apud *Jac. Du Puys*, 1554.

In eodem volumine, quo CLAUDII ESPENCAEI *Commentarius in* II *Tim.*, de quo mox dicetur.

N°. 8.

Q. SEPTIMII FLORENTIS, *TERTULLIANI* OPERA curâ *Beati Rhenani*. *Basileae* apud *Joännem Frobenium*, 1521.

N°. 9.

CLEMENTIS ALEXANDRINI OPERA Gr. et Lat. curâ *Daniëlis Heinsii*, cum variis lectionibus et emendationibus *Frid. Sylburgii*. *Lugd. Bat.* typis *Jacobi Patii* pro Bibliopolio *Commeliano* 1616.

In F°. No. 9. Donum *Isemboudii Vaenii*, Harlemo discedentis a°. 1627.

N°. 10.

CLEMENTIS ALEXANDRINI OPERA Latine, *Gentiano Herveto* interprete. *Basileae* apud *M. Isingrinum*, 1556.

In eodem volumine, quo RUARDI TAPPERI *Explicationes Articulorum*, de quibus mox dicetur.

N°. 11.

ORIGENIS ADAMANTII OPERUM Tomus IIIus et IVus sive HOMILIARUM IN N. T. tomi 2, *Latine* ex variis antiquis interpretationibus, curâ *Jacobi Merlini*. *Parisiis* typis *Joännis Parvi* et *Jodoci Badii*, *Ascensii*, 1515, uno volumine.

N°. 12.

1. *ORIGENIS ADAMANTII* OPERA OMNIA Latine, partim versa, partim recognita a DESIDERIO ERASMO, cum ejusdem praefatione *de vitâ et operibus Origenis* et epistolâ nuncupatoriâ BEATI RHENANI de *vitâ et obitu Erasmi*. *Bas.* ex off. *Frobenianâ* 1515. 2 vol. Volumini II° adjecti sunt:

2. ——————————— COMMENTARIORUM IN JOÄNNIS EVANGELIUM ex 39, *quos* scripsisse ORIGENEM refert *Hieronymus*, Tomi

9, Latine, *Joächimo Perionio interprete. Parisiis* apud *Carolam Guillard, Claudii Chevallonii* viduam et *Guiliemum Des Boys*, 1555. No. 12.

N°. 13.

CAECILII CYPRIANI OPERA ex recensione et cum annotationibus *Jacobi Pamelii* et responsionibus *Simonis Goulartii* ad ea, quae *Pamelius* in suis annotationibus pro dogmatum Pontificiorum confirmatione protulit. *Genevae* ex off. *Joännis Le Preux* 1593.

N°. 14.

CAECILII CYPRIANI OPERA ex recensione et cum annotatiunculis *D. Erasmi. Bas.* ex off. *Frobenianâ*, 1520.

N°. 15.

1. *CAECILII CYPRIANI* OPERA ex recensione et cum annotationibus *D. Erasmi*, editio tertia. *Bas.* ex off. *Frobenianâ*, 1525.

2. *BASILII MAGNI*, *Caesariensis* Episcopi OPERA, quibus inserta est MONODIA *GREGORII NAZIANZENI*, *Latine*, *Joänne Argyropilo*, *Geörgio Trapezuntio*, *Raphaële Volaterra* et *Rufino Presbytero* interpretibus, curâ *Joänn. Argyropili*. *Coloniae* in aedibus *Eucharii Cervicorni*, aere et impensis *M. Godefridi Hittorpii*, 1523.

In F°.

N°. 15. 3. *FULGENTII AFRI* (*Episcopi Ruspensis* seculo VI° ineunte) et *JOHANNIS MAXENTII* (Monachi eodem circiter tempore) OPUSCULA (sive potius opusculorum versio vetus *Latina* e *Graecis*) operâ *Bilibaldi Pirckheymeri* et *Johannis Cochlaei*. *Hagenoäe*, typis et impensis *Cobergerorum Norimbergensium* in off. *Thomae Anselmi*, 1520.

N°. 16.

1. *EUSEBII PAMPHILI Caesariensis* EVANGELICA PRAEPARATIO, Graece. *Lutetiae*, ex off. *Roberti Stephani*, 1544.

2. ———————— EVANGELICA DEMONSTRATIO, Graece. Ibidem, typis iisdem, 1545.

N°. 17.

1. *EUSEBII* DE EVANGELICA PRAEPARATIONE libri 14, Latine, *Gregorio Trapezuntio* interprete. *Coloniae* typis *Heronis Alopecii*, 1539.

2. ———— DEMONSTRATIO EVANGELICA, Latine, *Donato Veronensi* interprete. *Coloniae* in aedibus *Melchioris Novesiani*, 1539.

3. *EUCHERII*, *Lugdunensis* Episcopi, LUCUBRATIONES aliquot curâ *J. Alexandri Brassicani*, sive Commentarii in 4 libros *Regum*,

Formularum Spiritalium liber, *de Quaestionibus* *difficilioribus* V. et N. T., Nominum *Hebraïcorum* et aliorum interpretatio et Epistola Paraenetica ad *Valerïanum*, cum scholiis *D. Erasmi. Bas.* ex off. *Frobenianâ* 1531. In F°. N°. 17.

N°. 18.

1. *L. COELII LACTANTII FIRMIANI* OPERA. *Basileae* apud *Andream Cratandrum* et *Joännem Bebelium*, 1532.

2. *GREGORII NAZIANZENI* ORATIONES ejusdemque *Vita*, a *Gregorio Presbytero* conscripta, *Bilibaldo Pirckheymero* interprete, cum praefatione *D. Erasmi. Bas.* ex off. *Frobenianâ*, 1531.

N°. 19.

GREGORII NAZIANZENI OPERA OMNIA Gr. & L., *Jacobo Billio Prunaeo* interprete, cum *Nicetae Serronii*, *Pselli*, *Nonii*, *Eliae Cretensis* et *J. Billii* commentariis. Acc. ejusdem GREGORII *Epistolae ineditae* ex interpretatione *Frederici Morelli. Parisiis* 1630, 2 vol.

N°. 20.

GREGORII NAZIANZENI ORATIONES 30 cum adjectis 8 et vitâ auctoris, a GREGORIO PRESBYTERO conscriptâ, Latine, *Bilibaldo*

In F°.

N°. 20. *Pirckheimero* interprete, curâ *Desiderii Erasmi. Basileae* typis *Hieronymi Frobenii* et *Nicolaï Episcopii*, 1531.

In eodem volumine, quo Rabbi MOSSAEI, *Maimonis* filii, *Dux Dubitantium*, de quo libro postea dicetur.

N°. 21.

HILARII (Pictaviensis in Galliâ Episcopi sec. IV°) LUCUBRATIONES curâ *D: Erasmi*, cum ejusdem Epistolâ Dedicatoriâ *de Hilario ejusque scriptis. Bas.* ex off. *Frobenianâ*, 1535.

In eodem volumine continentur RICHARDI SCOTI *opera*, de quibus mox dicetur.

N°. 22.

ATHANASII, Episcopi *Alexandrini*, OPERA *Latine*, *Christophoro Porsenâ*, *Ambrosio Maracho*, et *Angelo Politiano* interpretibus, curâ *Nicolaï Beraldi*, cum praefatione *Erasmi. Parisiis* typis et expensis *Joännis Parvi*, 1519.

N°. 23.

AMBROSII, Episcopi *Mediolanensis*, OPERA ex recensione *Erasmi*, *Sig. Gelenii* et *Joännis Costerii*, cum epistolis dedicatoriis *Erasmi* et *Costerii* et vitâ *Ambrosii* duplici, alterâ a *Costerio*, alterâ a *Paulino Presbytero* conscriptâ. *Basileae*, typis *Hieronymi Frobenii* et *Nicolai Episcopii*, 1555. 5 Tom. 3 vol.

In F°.
N°. 24.

N°. 24.

AURELII AUGUSTINI, *Hipponensis* Episcopi, OPERA OMNIA, ex emendatione *D. Erasmi. Basileae*, ex off. *Joännis Frobenii*, 1529, 10 vol.

N°. 25.

AURELII AUGUSTINI OPERA OMNIA, curâ et studio Monachorum ordinis s. *Benedicti* e congregatione s. *Mauri*. *Antverpiae*, apud *Petrum Mortier*, 1700—1703, 12 Tom. 9 vol.

N°. 26.

AURELII AUGUSTINI OMNIUM OPERUM EPITOME, per *Joännem Piscatorium*. *Genevae*, apud *Joännem Crispinum*, 1555.

N°. 27.

AURELII AUGUSTINI OPERUM EPITOME, per *Matthiam Hauzeur*. *Parisiis*, apud *M. Solium*, *M. Guillemotum*, *G. Jossium* et *P. Guillemotum*, 1646, 2 vol.

N°. 28.

AURELII AUGUSTINI DE TRINITATE libri 15 cum annexis FRANCISCI MARONIS ex Augustino *Floribus*, sive Veritatibus Theologicis, curâ *Adae Petri de Langendorf*. *Basileae*,

In F°.

N°. 29. impensis *Joännis Koburger*, *Nurembergensis*, 1515.

In eodem volumine, quo HADRIANI VI[i], Pont. Rom. et JOÄNNIS BRIARDI *Quaestiones Quotlibeticae* et THOMAS WALDENSIS in *Witcleffistas*, de quibus mox dicetur.

N°. 29.

OPTATI, (*Milevitani* in *Numidiâ* Episcopi sec. IV°), OPERA cum notis *Gabriëlis Albaspinaei*, *Aurelianensis* Episcopi. Acc. Editoris Observationes de veteribus Ecclesiae ritibus, — in concilium *Eliberitanum*, — in quosdam Canones Conciliorum antiquos et in libros aliquot *Tertulliani*. *Parisiis*, apud *Claudium Sonnium*, 1631.

N°. 30.

JOäNNIS CHRYSOSTOMI, Archiepiscopi *Constantinopolitani*, OPERA, Graece, curâ et studio *Henrici Savilii*, cum indicibus et notis variorum. *Etonae*, typis *Joännis Nortoni*, typographi regii, 1612, 8 vol.

N°. 31.

JOäNNIS CHRYSOSTOMI OPERA OMNIA, Gr. et L., operâ et studio *Bernardi de Montfaucon* et Monachorum *Benedictinorum* e congregatione *S. Mauri*. *Parisiis*, apud *L. Guerinum*, *C. Robustellum*, *Joänn. et Joseph. Barbou*,

G. Desprez et *J. Desessartz*, 1718—1738. 13 vol.

N°. 32.

Joännis Chrysostomi OPERA OMNIA, Latine, edita a *D. Erasmo*, cum ejusdem epistolâ nuncupatoriâ, vitâ *Chrysostomi* et praefixo primo volumini indice. *Basileae*, ex off. *J. Hervagii*, 1539. 4 vol.

N°. 33.

Joännis Chrysostomi COMMENTARII in omnes *Pauli* Epistolas, Latine, *Wolfgango Musculo*, *Francisco Aretino*, *Mutiano Scholastico*, *D. Erasmo*, cet. interpretibus, curâ *D. Erasmi*. *Basileae*, ex off. *Joänn. Hervagii*, 1536. 2 vol.

N°. 34.

Hieronymi, *Stridonensis* Presbyteri, OPERA OMNIA cum *Pseudepigraphis* et alienis admixtis, ex recensione *D Erasmi*. *Basileae*, ex off. *Frobenianâ*, typis et aere *Hieronymi Frobenii* et *Nicolai Episcopii*, 1537, 9 Tom. 4 vol.

N°. 35.

1. INDEX OPERUM HIERONYMI cum interpretatione Nominum *Graecorum* et *Hebraeorum*. *Basileae*, typis *H. Frobenii* et *N. Episcopii*, 1538.

In F°.

N°. 35. 2. *Joännis Damasceni* (sec, VIII°) OPERA, Latine cum vitâ auctoris, a *Joänne*, Patriarcha *Hierosolymitano*, conscriptâ, item e Graecis Latine conversâ, *Jacobo Fabro Stapulensi*, *Joänne Oecolampadio* et aliis interpretibus. *Basileae*, apud *Henricum Petrum*, 1539.

N°. 36.

Cyrilli, Archiepiscopi *Alexandrini* (sec. V°) OPERA, Latine, *Georgio Trapezuntio*, *Joänne Oecolampadio* et incerto interpretibus. *Basileae*, ex off. *Andreae Cratandri*, 1528. 3 Tom. 1 vol.

N°. 37.

1. *Cyrilli*, Patriarchae *Alexandrini*, IN EVANGELIUM JOÄNNIS libri 12, Latine, *Georgio Trapezuntio* interprete, curâ *Judoci Clichtovei*. *Parisiis*, typis et impensis *Wolfgangi Hopilii*, *Joännis Parvi* et *Thielmanni Kerver*, 1508.

2. ———————— Thesaurus DE CONSUBSTANTIALITE FILII ET SPIRITÛS SANCTI CUM DEO PATRE, Latine, *Georgio Trapezuntio* interprete, curâ *Jud. Clichtovei*. *Parisiis*, typis *Wolfgangi Hopilii*, 1513.

3. ———————— IN LEVITICUM libri 16, Latine, *Georg. Trapezuntio* interprete,

In F°.

curâ *Jud. Clichtovei. Parisiis*, typis iisdem, 1514. N°. 37.

4. *ARNOBII*, *Siccensis Afri* (Praeceptoris *Lactantii*, sec. III°) COMMENTARIUS in *Psalmos*, cum praefatione *Erasmi* ad *Adrianum VI*^um^ Pont. Rom. et ejusdem Commentario ad *Psalmum II*^um^. *Basileae*, in aedibus *Jo. Frobenii*, 1522.

N°. 38.

LEONIS I^i^ (*MAGNI*), Papae, OPERA OMNIA, curâ *Petri Canisii. Coloniae*, ex off. *Melchioris Novesiani*, 1546.

In eodem volumine, quo JOÄNNIS THAULERI Opera, de quibus mox dicetur.

N°. 39.

PROCOPII GAZAEI, (sophistae Christiani sec. VI°) COMMENTARII in *Octateuchum*, sive libros 8 priores V. T., Latine, *Conrado Clausero, Tigurino*, interprete. *Tiguri*, per *Andream* et *Jacobum Gesneros*, 1555.

N°. 40.

EUGYPPII (Abbatis *Africani* seculo VI°) THESAURI ex *Augustini* Operibus, cum vitâ auctoris ex *Trithemio*, curâ *Joännis Heroldi*, *Acropolitae. Basileae*, typis *Roberti Winteri*, 1542. 2 Tom.

In F°.
N°. 41. In eodem volumine, quo EUSEBII *Chronicon* Lat. *Sichardi*, de quo dicetur in libris Historicis.

N°. 41.

GREGORII I^i (*MAGNI*, *Papae*, sec. VI°) OPERA. *Basileae*, ex officinâ *Frobenianâ*, 1551. 2 vol.

N°. 42.

GREGORII MAGNI OPERA. *Parisiis*, apud *Carolam Guillard*, viduam *Claudii Chevallorii* et *Guilielmum Des Boys*, 1551. 2 Tom. 1 vol.

N°. 43.

JOäNNIS DAMASCENI (cognomine *Chrysorrhoäe* sec. VIII°) DE ORTHODODOXÂ FIDE libri 4, Latine, interprete *Jacobo Fabro*, *Stapulensi*, DE VIVENTIUM OPERIBUS, DEFUNCTORUM SALUTEM PROMOVENTIBUS, Latine, *Joänne Oecolampadio* interprete, et DUORUM CHRISTI MILITUM HISTORIA, e Graeco in Latinum conversa ab incerto. Acc. *J. Damasceni* vita, a *Joänne*, Patriarchâ *Hierosolymitano*, conscripta, Latine, *J. Oecolampadio* interprete. *Basileae*, typis *Henrici Petri*, 1539.

In eodem volumine, quo J. FABRI STAPULENSIS *Commentarii in Epistolas Catholicas* et PHILONIS JUDAEI *Antiquitates Biblicae*, *Quaestiones et Solutiones in Genesin*, cet., de quibus mox dicetur.

N°. 44.

OECUMENII, Episcopi *Triccensis* in *Thessa-*

liâ sec. X° vel XI°, (quae feruntur) COMMENTARIA IN 4 EVANGELIA, ex *Chrysostomi* aliorumque veterum scriptis, Latine e Graecis, interprete *Johanne Hentenio*, *Nechliniensi*. *Lovanii*, ex officinâ *Rutgeri Rescii*, 1543. In F°. No. 45.

In eodem volumine, quo *Canonicorum Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Antididagma*, de quo dicetur in Commentatoribus de argumentis sacris.

N°. 45.

OECUMENII COMMENTARIA in *Acta Apostolorum*, *Epistolas Pauli* et *omnes Catholicas Epistolas*, et ARETHAE (*Caesareae Cappadociae* Episcopi sec. X°) EXPLANATIONES in *Apocalypsin*, Gr. & L., interprete *Joänne Hentenio*, *Necliniensi*, curâ *Frederici Morelli*. *Lutetiae Parisiorum*, sumptibus *Claudii Sonnii*, 1631. 2 vol.

N°. 46.

1. *EUTHYMII ZIGABONI*, (Monachi ordinis *s. Basilii* seculo XII°), COMMENTARIA in 4 *Evangelia*, ex *Chrysostomi* aliorumque veterum scriptis, Latine e Graecis, interprete *Joänne Hentenio*, *Nechliniensi*. *Lovanii*, ex officinâ *Rutgeri Rescii*, 1544.

2. *OECUMENII* ENARRATIONES in *Acta Apostolorum* et *omnes Pauli* et *Catholicas Epistolas*, et *ARETHAE* COACERVATIO ENARRATIONUM e variis sanctis viris in *Apocalypsim*, La-

tine, interprete *Joänne Hentenio*, *Nechliniensi*. Acc. fragmenta ex EPIPHANIO (Episcopo *Cyprensi* sec. IV°) Gr. cum duplici versione *Cornarii* et *Hentenii*, et ex *THEODORETO* (Episcopo *Cyri* in *Syriâ* sec. V°) Latine, et *REMIGII*, *Altisiodorensis* Episcopi sec. IX°, ENARRATIO in 11 *posteriores Prophetas*. *Antverpiae*, in aedibus *Joännis Steelsii*, 1545.

N°. 47.

THEOPHYLACTI (Archiepiscopi *Bulgariae* sec. XI°) ENARRATIONES *in* 4 *Evangelia*, denuo recognitae, Latine e Graecis, *Joänne Oecolampadio* interprete. *Basileae*, in officinâ *Andreae Cratandri*, 1525.

In eodem volumine, quo S. PAULI *Epistolae* cum comm. *Jacobi Fabri Stapulensis*, de quibus dictum est pag. 178.

N°. 48.

COLLECTANEA HOMILIARUM in Evangelia *de Tempore* et *de Sanctis*, sive tam Dominicalium feriatorumque dierum, quam festorum, per totius anni decursum, ex *Hieronymo*, *Augustino*, *Ambrosio*, *Gregorio*, *Origene*, *Joänne Chrysostomo*, aliisque praestantisssimis Ecclesiae doctoribus, per *Alchuïnum*, *Levitam* (*Flaccum Albinum* vel *Alcwinum*, *Anglum*, primum Diaconum ecclesiae *Eboracensis*, postea Abbatem coenobii

s. *Martini Turonensis*, Consiliarium *Caroli Magni*, hujusque in instituendâ Academia Parisinâ suasorem, collecta (ut ferunt) hujus Imperatoris jussu (sec. VIII°). *Coloniae*, in aedibus *Eucharii Cervicorni*, aere et impendio *Godefridi Hittorpii*, quo anno definiri nequit ob desiderium tituli.

In eodem volumine continentur JACOBI FABRI, *Stapulensis*, *Commentarii in Epistolas Catholicas*, mox memorandi.

IN QUARTO.

N°. 1.

ABRAHAMI SCULTETI, *Grünbergensis Silesii*, (Theologiae Professoris *Heidelbergensis*) MEDULLA THEOLOGIAE PATRUM, qui a temporibus Apostolorum ad Concilium usque *Nicenum* floruerunt, methodo analyticâ et syntheticâ. *Ambergae*, ex Typographeo *Forsteriano*, 1598.

N°. 2.

ORIGENIS PHILOCALIA de obscuris s. scripturae locis a *Basilio Magno* et *Gregorio Theologo* ex variis *Origenis* commentariis excerpta. Acc. *ZACHARIAE Scholastici* (*Mitylenes* in *Lesbo* Episcopi sec. VI°) DE MUNDI OPIFICIO contra Philosophos, *ANASTASIUS* (*Presbyter* et Monachus *Sinaïta* sec. VII°) *de*

In Q°.
N°. 3. *hominis ad imaginem Dei creatione* et (Anonymi) CELEBRES OPINIONES de *animâ*, omnia Graece cum interpretatione Latinâ et notis *Joännis Tarini*. *Parisiis*, sumptibus *Petri de Forge* 1619.

N°. 3.

ARNOBIUS Afer ADVERSUS GENTES, cum *Theodori Canteri*, *Godeschalci Stewechii*, *Gebhardi Elmenhorstii* et *Desiderii Heraldi* notis. *Lugduni Batavorum*, ex officinâ *Joännis Maire*, 1651.

N°. 4.

EUSEBIUS DE PRAEPARATIONE EVANGELICÂ, a *Georgio Trapezuntio* e Graeco in Latinum traductus. *Hagenoäe*, impensis *Joännis Rynman* de *Oringau*, curâ *Henrici Gran*, 1522.

In eodem volumine, quo AGATHIUS *de bello Gothorum*, de quo dicetur in libris Historicis.

N°. 5.

JOÄNNES PHILOPONUS (Philosophus et Grammaticus *Alexandrinus*, Tritheïta habitus, sec. VI°) DE CREATIONE MUNDI libri 7, cum disputatione DE PASCHATE, Gr. & L., ex interpretatione et recensione *Balthasaris Corderii*, *Antverpiensis*. *Viennae Austriae*, typis *Gregorii Gelbhaar*, 1630.

In Q°. No. 6.

